

æquiparatus, in præcedaneis hæc talia non ex Bacchanalibus, sed ex Quinquatriis minoribus & Megalensibus deduxerat. Tam incerta omnia sunt. *Rodolphus Hospinianus* valde quiritatur (*de Orig. Fest. p. 73.*) *Miranda*, inquit, & *vehementer deploranda est insania & furiosa Christianorum impietas, qui tam immania, tam tetra, & omnisque sceleris & malitia plena festa, ab ipsis quoque Scythis damnata, non dubitarunt quasi postliminio in Ecclesiam Christi introducere. O scelus! O crimen horrendum & ingens, quo procul dubio gravem iram Dei nobis conciliamus!* Verum ita re-
 felluntur ii saltem, qui putant, vigiliam istam aliquibus in locis, ubi abusus ejusdem toleratur, & frequentatur, nullam omnino cum Bacchanalibus Ethnicorum habere convenientiam. Alii perhibent, *Papas Rom. præsertim Innocentium 111. Synodo Uratislaviensi 1248. Polonis & Uratislaviensibus permisissie, ut per tres priores dies jejunii debaccharentur.* Sed vid. *Centuriatores Magdeb. Cent. VI. col. 632.* ubi verba ita se habent: *Relaxavit Jacobus Todiensis Archidiaconus & Legatus Pontificius Polonis partem jejunii ejus, quod est solenne cunctis ante Pascha. Nam cum id totis novem (puto pro novem legendum esse septem) hebdomadis, veteri summorum Pontificum instituto, vulgo servarent, indulgit, ut esset deinceps hebdomadarum sex & dimidia.* *Gisbertus Voëtius Tom. III. Disp. select. disputat. ult.* æque, ac *Autores jam allegati*, vigiliam nostram ipsum festum Bacchi Ethnicum esse arbitratur; quare non modo adjuncta illius & circumstantias (seu mavis abusum) verum & ipsum subjectum penitus abolendum esse censet. Sed esto hoc quod antenus; tamen ne ipse quidem certus est, num vigiliæ nostræ Passionales sint Bacchanalia, num Saturnalia, num Lupercalia, num vero Quirinalia: de quibus supra §. IX. egimus. Multis deinde argumentis probare vult, quod Christiani nihil cum festis idololatricis Ethnicorum commune habere debeant. Sed de probatione hujus thesios, *vigiliam videlicet carnisprivii celebrari à Christianis in honorem & memoriam Bacchi, & ideo esse ipsum Bacchi festum diabolicum*, altum agit silentium. Optamus & nos, ut omnes Bacchanalium Ethnicorum umbræ à
 Chri-